

Itaque quemadmodum in partitione proposuit, ita narrat, drimum gnati vitam:

Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia.
Deinde suum consilium:

Et nunc id operam do.

Deinde quid Sosiam velit facere, id quod postremum posuit in partitione, postremum dicit:

Nunc tuum est officium.

Quemadmodum igitur hic et ad primam quamque partem primum accessit, et omnibus absolutis, finem dicendi fecit, sic nobis placet, et ad singulas partes accedere, et omnibus absolutis perorare.

Top. II. Quum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes; unam inveniendi, alteram judicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Judicandi enim viam diligenter persecuti sunt, eam quam Dialecticen appellant. Inveniendi vero artem, quae Topice dicitur, quaeque ad usum potior erat, et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est, et utramque, si erit otium, persequi cogitamus, ab ea, quae prior est, ordiemur. Ut igitur earum rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco, facilis inventio est: sic, quum pervestigare argumentum aliquod volumus, nos debemus: sic enim appellatae ab Aristotele sunt hae quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, *locum* esse argumenti sedem; *argumentum* autem, rationem, quae rei dubiae faciat fidem.

Part. II. F. Quoniam invenire primum est oratoris, quid quaeret? P. Ut inveniat, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet persuadere, et quemadmodum motum eorum animis afferat.

F. Quibus rebus fides sit?